

204), deinde 1890 in scholiis Aeschyleis demonstravi (Herm. 25). sed taedium perquirendorum codicum declinabam, non solum quia bibliothecarum pulvere vesci minime amo, sed etiam quia alios talia multo melius ac facilius expedire probe scio. meum potius esse existimabam Welkeri et Odofredi Muelleri promovere opus, qui primi quaerere coeperunt, quid Aeschylus inventor tragoediae, Homeri aemulus, praeceptor populi sui, libertatis ac pietatis adsertor et voluisset et valuisset. at vero cum ante aliquot annos Aeschyli compluria publice interpretabar, puduit desidia grammaticorum adeo, ut quidquid otii minime largi suppetebat, recensendae triadi impenderem. nec minus libenter Hermannum quam Welkerum sequi didici. scio multis etiam inter eos quorum iudicium plurimi facio imperfectam visum iri operam meam. conquirendos fuisse Aeschyli codices quotquot extant omnes, explorandam singulorum cognationem, pertexendam textus per saecula XII—XVI historiam. utinam existat qui hanc metam attingat; haud spernenda is de studiis grammaticorum Byzantinorum investigabit; fortasse etiam unam alteramve emendationem certo auctori attribuire poterit, sed ad Aeschyli verba recuperanda haec non pertinent. huic vero uni studeo, substitique in codicibus perquirendis, cum mihi persuasissem hactenus materiam a me collectam sufficere. atque ut erraverim — numquam edidissem Aeschylum, nisi ita errassem. immortalis scientia Hesiodium πλέον ἤμισυ παντός improbat necessario: mortalem in hoc praecepto acquiescere non dedecet, opinor.

Enumerabo nunc recensiois subsidia, atque singularem locum occupat Mediceus (M). cuius imaginem lucis ope egregie redditam ita edidit E. Rostagno, ut tantum in distinguendis rasuris correctionibusque aut ad librum ipsum aut ad eorum testimonia confugiendum sit, qui eum contulerunt, inter quos longe accuratissimus est H. Vitelli, cuius conlatio in editione N. Weckleinii (Berolini 1885) edita est. ne hic quidem omnem notare valuit spirituum accentuum litterarum mutarum interpunctionum varietatem. quod non desiderabit, imo haud pauca huius generis consulto omittet qui Aeschylo uni studet. at gravissima sunt quae Rostagno in praefatione edisserit. exploratis enim antiquioribus quaternionum signis apparuit uno olim codice comprehensos esse Aeschylum et Apollonium Rhodium, postea vero, sed non multo postquam hic liber scriptus est, praefixum esse Sophoclis codicem, et denuo totius voluminis quaterniones esse notatos, integro etiamtum Aeschylo, cuius ante saec. XIV evulsus est quaternio 18 et undevigesimi folia tria media. quot scribae codicem